



**R. P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, E Societate Iesv, In  
Collegio Romano Eivsdem Societatis olim Theologiæ  
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis. Dispvtationes  
Scholasticæ De Incarnatione Dominica**

**Lugo, Juan de**

**Lugduni, 1653**

7. Explicantur aliæ difficultates circa naturam subsistentiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81011](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-81011)

plures modos subsistendi eiusdem naturae, non attenta potentia ipsius naturae, cui unica subsistens sufficiebat, sed attenta omnipotencia Dei, cui non repugnat producere sapientiam diuersam cum diuerso numero subsistentiarum, vel in prima productione dare illi aliam subsistentiam propriam, & non hanc, sicut potest eam reproducere per diuersam etiam numerorum actionem.

Infero secundum, non solum repugnare eidem nature subsistentiam propriam, & alienam in eodem loco; sed etiam in diuersis; quod immixtum negavit Pater Suarez *vbi supra, dicta sententia prima in fine.* Ratio autem sumitur ex iis, que dixi in 4. *Physicorum*, vbi docui, formas, que repugnant essentialiter eidem subiecto in eodem loco, repugnare etiam in diuersis, quia haec repugnantia non est ratione loci, sed ratione subiecti, quod semper manet unum, & idem, licet in diuersis locis.

Dabitur tamen secundum pro complemento, ut huius questionis, vtrum possit eadem natura humana Christi subsistere simul per subsistentiam trium diuinarum personarum; quod sub aliis terminis solet disputari, vtrum eadem humanitas possit assumi a tribus diuinis personis.

Communis est sententia Theologorum, affirmans, quam docuit D. Thomas in *presenti questione terria, articulo sexto*, quem sequuntur ultra alios Suarez *ibi, disputatione 13. sententia 2.* & Vazquez *disput. 29.* quia licet subsistere in se, & subsistere in alio implicet contradictionem, nulla tamen est contradictione in eo, quod eadem natura subsistat duplice, vel triplice subsistentia aliena.

Ego quidem non parum propendo in partem negatiuum, pro qua afferuntur Scotus, Rocardus, Albertus, Paludanus, & Anselmus, quem licet interpretari conetur Diuus Thomas, & alii; non tamen posunt omnino in suam sententiam trahere. Omissis autem aliis rationibus, quae mihi non sunt adeo efficaces; ratio potest desumti ex supradictis, quia licet subsistentia aliena non ita terminet naturam, ut faciat illam per se subsistentem: facit tamen illam subsistentem in tali supposito alieno; sicut subsistentia propria facit naturam subsistentem in se. Nam subsistentia Verbi, verbi gratia, ita terminat naturam humanam Christi, ut facias illam subsistere in Verbo; item si personalitas Angeli posset terminare naturam humanam Petri, faceret illam subsistere in supposito Angelico. Subsistere autem humanitatem in Verbi supposito, vel Angelico, est sistere, & terminari humanitatem, non quidem in se, sed in illo supposito alieno, ergo non posset simul terminari ab alio supposito. Probatur consequentia, quia sicut repugnat terminari in se, & in alio, ut supra dictum est, sic etiam repugnat terminari in supposito Verbi, & terminari in alio supposito Spiritus sancti; terminari enim est sistere ibi, & non progredi ulterius. ergo si terminatur in hoc supposito Verbi, non potest terminari in alio supposito Spiritus sancti, quia afferat secum in terminis virtualem contradictionem.

Dices, eadem natura diuina subsistit per subsistentiam trium Personarum ergo poteris etiam eadem humana, natura subsistere per easdem tres subsistentias.

Respondeo, negando consequentiam. Ratio autem discriminis est, quod natura diuina subsistit per tres subsistentias proprias: subsistere autem per propriam subsistentiam, non est naturam sistere, seu terminari in tali supposito, sed sistere in se ipso, ut supra dictum est: immo hic est potissimum effectus propriæ subsistentiæ, quod natura existat per se, seu sitat in se ipso; quare cum non repugnet, quod eadem natura sitat in se ipso per triplicem subsistentiam (vt ita dicam) non repugnat habere tres subsistentias proprias. At vero quando natura subsistit per subsistentiam alienam, non sitat in se, sed in alieno supposito; quare cum repugnet, naturam sistere in tali supposito alieno, & adhuc progrederi ulterius ad sistendum in alio supposito; consequens est, ut repugnet, quod natura humana, qua semel subsistit in supposito Verbi, subsistat ulterius in supposito Verbi, subsistat ulterius in supposito Patris, vel Spiritus sancti. Est ergo mihi satis verisimilis haec pars, solùnque retardor ob auctoritatem S. Thomæ. Possimus tamen S. Thomas opponere Anselmum, quem nobis auferre volunt Aduersarij.

### SECTIO VII.

*Explicantur aliae difficultates circa naturam subsistentiæ.*

**P**rima difficultas est, an subsistentia sit modulus, vel res absoluta? 83  
Quidam recentiores tenaciter defendunt, esse Difficultas  
prima.  
Soluuntur.  
diffinctam à natura realiter, tanguam rem à re. P. Suarez in *Metaphysica vbi supra, sect. 4.n. 33.* docet, esse modum naturæ, quam sententiam defendit etiam P. Vazquez in *presenti disputatione 31. c. 6.* Vazquez & est communis apud nos, & mihi etiam videtur probabilior. Primo, quia subsistentia Petri, v.g. est, que terminat partes Petri, ut sint in hoc supposito, & non sint in alio compagno, neque in alio supposito; ergo non est entitas absoluta, quia si esset absoluta, potuisset eadem subsistentia, que nunc est Petri, esse subsistentia Pauli. quod quidem videtur absurdum, quia si hoc esset, potuisset etiam subsistentia lapidis fieri subsistentia hominis, atque adeo illa, quæ nunc non est personalitas, potuisset eadem esse personalitas, omnis enim subsistentia humana est personalitas, & è contraria, quæ nunc est personalitas in homine, potuisset connaturaliter esse subsistentia lapidis, & per consequens non esse personalitas, quod videtur omnino falsum. nam personalitas intrinsecè est personalitas. Fataendum ergo est, subsistentiam hominis secundum se esse alligatum ad naturam humanam, & non esse indifferentem ad alias naturas: hoc autem concedo, non appareat, cur non dicamus, subsistentiam Petri de se esse alligatum ad naturam Petri, quia sicut subsistentia humana terminat naturam humanam, ut sitat in se; sic subsistentia Petri habet terminare naturam Petri, ut sitat in se, ergo non est indifferentes ad terminandam quamlibet naturam.

Con

# 216 De mysterio Incarnationis,

84

Confirmari potest exemplo accidentis, cuius esse est esse in alio: illud autem per quod haec albedo, verbi gratia, est in alio, scilicet inherentia actualis, non est indifferens, ut faciat quolibet accidentis esse in quolibet subiecto; sed est determinata, ut faciat hanc albedinem esse in hoc subiecto: ergo perfectas, qua natura substantialis est per se, habet eandem determinationem, ita ut haec perfectas sit hoc, ut haec natura sit in hoc supposito, & non in alio.

85

Secundum probari hoc potest ex diuerso effectu formalis, quem diximus prouenire a substantia propria, & aliena; si enim substantia propria dat natura subsistere in se, & substantia aliena dat sistere in alio; ergo haec substantia propria Petri intrinsecè habet esse substantiam propriam illius: aliquin non posset illi dare hunc effectum formalem substantiendi in se, sicut substantia Verbi, quia non est substantia propria humanitatis, licet illi vniatur, non facit illam substantiem in se, sed in alio. Sic ergo si substantia haec non est intrinsecè propria Petri, non dabit illi hunc effectum formalem substantis substantia propria, seu substantis in se, quia si haec eadem fuisset substantia Pauli, prout esse potuit, iam esset aliena respectu Petri, atque adeo si vniaret simul Petro, natura Petri, non subsisteret substantia propria; ergo nec modò substantia substantia propria, nam eadem forma vnta eidem natura Petri, non potest dare nunc diuersum effectum formalem; nisi fortasse dicas, hunc effectum formalem substantis in se, seu substantia propria, non esse adiquatè intrinsecam, & positivum, sed includere negationem aliquam, scilicet, quod illa substantia ita sit de facto vnta huic naturae Petri, ut non fuerit vnta naturae Pauli, vel alterius: hoc autem iam efficitur ex parte in sententiam Scoti, & dicere, quod homo saltem partialiter subsistit per negationem aliquam. Melius ergo est poneare in hac substantia hoc praedicatum positivum intrinsecum, quo ipsa de se sit substantia propria huius humanitatis, qua haec humanitas subsistat in se, & qua partes huius naturae subsistunt partialiter in eadem natura. Data autem hac alligatione, quia haec substantia alligata sit ad hanc naturam, & alliget partes huius naturae ad sistendum in hoc supposito, nihil videtur illi deesse, ut si modus, sicut actio, & vno: quia sicut haec actio est alligata ad hoc principium, & ad hunc terminum, & alligat hunc terminum cum hoc principio; & sicut haec vno alligat hoc extremum ad illud, & ideo dicuntur esse entites modales; sicut etiam propter eandem rationem relatio praedamentalis Paternitatis, vel similitudinis ponitur entitas modalis, & non forma realis ab iis, qui eas relations dicunt, esse aliquid medium conditum à fundamento, & termino; sic dicendum videtur de substantia, cum eodem modo non sit entitas absoluta, sed alligata ad hanc naturam; & alligans partes huius naturae ad sistendum in hoc supposito, ut vidimus.

86  
Obiectio pri-  
ma.

Obiectum primo, quia de ratione entitatis modalis, prout distinguitur contra entitatem

realem, est, quod sit determinatio unius rei ad aliam. Sic vno determinat unum extreum ad aliud, ubi determinat subiectum ad hunc locum, duratio ad hoc tempus, actio determinat causam ad hunc effectum, & sic de aliis. Subsistens autem non determinat naturam ad aliud; ad quid enim? ergo substantia non est modus, sed res.

Respondeo primò, obiectum procedere ex principio omnino voluntarie confitiorum enim tibi persuasit, essentiam communem entitatis modalis in hoc confitere? Sanè vbiatio non determinat in rigore, & propriè loquendo subiectum ad aliud, nam, ut dixi in 4. *Physicorum*, non determinat ad locum realem: spatium autem imaginarium non est aliquid, cum solum deferuat ad explicandum nostrum imperfectum modum concipiendi. Melius ergo dices, modum esse illam entitatem, qua licet distinguatur a subiecto, non tamen potest esse, nec intelligi sine eo, quod actu communicet suum effectum formalem subiecto. Quare licet substantia non sit determinatio naturae ad aliud, adhuc tamen est modus, quia non potest intelligi substantie hominis, sine eo, quod intelligatur homo substantiens a parte rei. Deinde addes ex dictis, substantiam determinare partes naturae ad sistendum in hac natura, & naturam totam ad sistendum in hoc supposito, ut non communicetur alteri, quod sufficit ad hoc, ut sit modus.

Obiectum secundum, quia humanitas Christi substantia per substantiam Verbi, qua non est modalis, sed realis; ergo neque humanitas Petri substantia per substantiam modalem. Probatur consequentia, quia substantia modalis dicit imperfectionem modi, qua non posset suppleri a Verbo.

Respondetur tamen negando consequentiam, & ad probationem dicimus, substantiam Verbi praestare humanitati Christi, quidquid praestaret propriæ substantia, ablatis imperfectionibus. Quare sicut potuit Verbum supplere substantiam creatam fine eo, quod esset forma humanitatis, quamvis substantia creata sit etiam forma; sic etiam potuit supplere substantiam fine eo, quod modificaret humanitatem, quia non fuit necesse, quod subiret defectus substantiae creatæ ad hoc, quod ipsam supplere.

Secunda difficultas est, utrum possit diuinatus, persona, vel suppositum creatum terminare aliam naturam?

Concedunt aliqui, quos refert Vasquez in presenti disput. cap. 2. num. 11. quos sequuntur aliqui recentiores, praetrem ex iis, qui censem, substantiam non esse modum, sed rem; nam sicut non implicat contradictionem, eandem albedinem ponit in duplice subiecto, cur repugnat ponere eandem substantiam in duplice natura?

Communis tamen sententia negat, quam docet Vasquez ubi supra. Suarez disput. 34. *Metaphysica*, sectione 4. num. 37. & feret omnes communiter licet non omnes conueniant in reddenda ratione. Vasquez postquam aliorum rationes impugnauit, istam alligat; quia nimis si aliena substantia posset diuinatus terminare alienam naturam, sequeretur, ipsam substantiam ex se habere capacitatem, & perfectionem sufficien-

sufficientem ad praestandum talem effectum alienam naturam, cum enim postea illum effectum formalem praestaret formaliter per suam entitatem, & non per aliquid superadditum; consequens est, vt in sua entitate praicontineatur talis effectus. Ex hoc autem rursus sequitur, subsistentiam alienam habere virtutem naturalem ad terminandam alienam naturam, quia omnis potentia postulat naturaliter reduci ad actum; ergo si haberet ex sua propria natura virtutem subsistentiam Angelorum, v.g. ad terminandam naturam hominis, postularer naturaliter illam terminare.

Verum haec ratio multum probat, & habet instantiam in ipsa vnione humanitatis ad Verbum. nam licet humanitas habeat capacitatem ad illam vniونem, & licet Verbū in sua entitate intrinseca habeat virtutem sufficientem ad terminandam hypotheticā naturam humanam, non sequitur ex hoc, postulari hanc vniونem naturaliter ab humanitate, neque à Verbo; & licet anima possit recipere gratiam, vel habitus supernaturales, non tamen postulat naturaliter illam receptionem. Nec potest sufficiens ratio discriminis reddi.

Ad rationem ergo contrariam facile potest responderi, distinguendo: omnis potentia naturalis postulat naturaliter reduci ad actum, concedo: omnis potentia obedientialis, nego. Talis autem est potentia, quam haberet subsistentia ad terminandam alienam naturam, quia tota illa potentia esset cum ordine ad Deum, operantem supernaturaliter, & miraculosè vniuent naturam alienam cum illa subsistentia.

Alij ergo rationem reddunt ex eo, quod subsistentia creata sit modus: modus autem non potest vniiri per vniونem distinctam, sed seipso essentialiter; ergo nulla subsistentia creata potest terminare alienam naturam. Probatur consequētia, quia cum aliena natura non potest vniiri seipso essentialiter, cūm possit ab ea separari: sed neque potest per vniونem distinctam ergo nullo modo.

Sed neque haec ratio concludit, facile enim responderet, modum non posse vniiri per vniونem distinctam cum re, cuius est modus, benē tamen cum aliis rebus. Quod sanè omnes debent concedere: nam illa pars subsistentia, qua est in manu, vniuit cum alia parte subsistentia, que est in brachio, & licet vtrāque sit modus, vniuent tamen per vniونem continuatiūm distinctam; quia possunt mutuo ab invicem separari. Cur ergo similiter non posset subsistentia Angelorum vniiri naturam humānā per vniونem distinctam.

Melior, & efficacior videtur ratio, quam insinuat Suarez *vbi suprā*, petita ex eodem principio, qua potest hoc modo explicari, quod omnis subsistentia creata est modus, vt probauimus; modus autem non potest communicare suum proprium effectum formalem, nisi illi solum rei, cuius est modus. Quod tum ex inductione omnium modorum, tum ex ipsa ratione constat; actio enim, qua productur Petrus, non potest diuinitus esse productio Pauli; item vno, qua vniuit mea materia cum mea forma, non potest esse vno alterius hominis, & sic de aliis.

Ratio autem est clara, quia tota effentia modi est actuale exercitium communicationis sui ipsius; actio enim, qua fit Petrus, est ipsum fieri Card. de Lugo de Incarnat.

actualiter Petrum: implicat autem contradicō nem quod fieri Petri sit fieri Pauli, licet vniiretur cum ipso Paulo; quia illa actio non est fieri, vt sic illius hominis, cui vnitā fieri, sed est fieri Petri. Sic ergo similiter subsistentia Gabrielis est ipsum subsistere Gabrielis, seu est ipsum esse per se Gabrielem, ergo non potest per illam subsistere Michael, quia esse per se Gabrielem non est esse per se vt sic, sed esse per Gabrielem; ergo etiā vniatur cum Michael, non faciet illum subsistentem, magis, quād si vniiretur Michaeli albedo: quod in actione, vbi, & aliis modis facile compries.

Dices, subsistentia Verbi diuini etiam est modus naturae, diuinæ, & tamen vnitā humanitatis, ipsaque reddit subsistente; ergo subsistentia etiam creatā, quantumvis sit modus, poterit terminare alienam naturam.

Respondet, subsistentiam Verbi non esse modum, sed rem, & licet sit subsistentia Dei, esse tamen subsistentiam infinitam in ratione subsistentia. Subsistentia autem infinita, eo ipso quod sit infinita, habet posse terminare quamcumque naturam potenter subsistere; quod non competit subsistentie create. Quare S. Thomas in *præ-* *s. Thom.*  
*senti q.3. art. 1.* merito dixit propriissimum esse persona diuina assumere naturam creatam, propter ipsius infinitatem.

Tertia difficultas est, vtrum possit de potentia absoluta conservari natura completa, humanitas, v.g. abque omni prorsus subsistentia propria, vel aliena? P. Suar. *disp. 34. Metaphysica. scđ. 6. n. 25.* Suarez. & sequentibus, negat, pro quo afferit D. Thomam, Scotum, & Fonsecam; verum tamen nullam adducit contradictionem qua non possit facile dis- solui, totam enim vim facit in aliquibus exemplis aliorum modorum. Primum est ex figura, que licet sit modus, non tamen potest absēre à quantitate, nec de potentia absoluta Dei. Respondet tamen, etiam quantitatem posse esse sine figura situali, si ad punctum redigatur.

Secundum exemplum est de *vbi*, fine quo non potest esse aliquares. Respondet, in ubicatione esse peculiarē repugnantiam, quia sequeretur, rem esse distantem ab aliis, & non esse distantem, &c. de quo in *4. Physicorum*; hoc autem non procedit in subsistentia.

Tertiū probat, quia substantia vel debet existere per se, vel in alio; nec datur medium. ergo vel cum subsistentia propria, vel aliena. Respondet, humanitatem tunc exituram per se negatiū, idest, non cum alio: non tamen per se positū.

Hinc oritur quarta difficultas, vtrum connaturaliter saltem loquendo debeatur modus positius subsistentiæ iis omnibus, quæ existunt per se, vt quantitatib; in Eucharistia; item materiæ primæ, si existeret ab omni forma separata, vel forma equi, si esset separata à materia: Probabilior videtur pars affirmativa, in qua conueniunt Suarez, & Valsquez uterque *tertio tomo in ter-* *Suarez.*  
*riam partem ille disp. 56. scđ. 2. conclusione 2.* iste *Valsquez.* *disp. 194. c. 2.* Ratio desumitur ex proportione ad substantiam completam; huic enim ideo datur subsistentia, quia existit per se, sicutque, seu terminatur in se; ergo ex suppositione, quod quantitas existat per se, & sicut, seu terminetur in se ipsa, connaturalius est, quod illi detur modus aliquis positius, per quem in se sicut, sicut datur subsi

subsistētia completa: quod idem de materia, vel forma separata dicendum videtur.

*Notandum.*

Aduerte tamen, hunc modum positiuum, per quem subsistit quantitas in Eucharistia, non esse substantiam, sed accidentalem: tum quia in Eucharistia non agnoscent Doctores aliam substantiam, præter substantiam Christi. Tum quia ille modus nulla ratione spectat ad conceptum compositi substancialis, nec participat conceptum communem substantie, quem explicimus suprà, ut consideranti patebit.

*95  
Difficultas  
quarta.  
Exclusum.*

Quinta difficultas est, utrum subsistētia sit principium requisitum ad operationes naturæ subsistentis.

*Suarez.*

Potest autem procedere questio in dupli sensu. Primo, utrum subsistētia sit principium adæquatum, vel inadæquatum immediatè influens in operationes? Secundo. Utrum sit saltem conditio prærequisita ex parte naturæ ad operandum.

*Suarez.*

In primo sensu affirmant nonnulli, quos tacito nomine refert Suarez *disputat. 34. Metaphysica* *lett. 7. num. 4.* subsistētiam esse principium inadæquatum influens in operationes. Vera tamen & communis sententia negat, quam docet idem Suarez *ibi num. 6.* Et probatur breuiter. Primo ex operationibus humanis Christi Domini, quæ adæquatè procedebant ab eius natura humana, & nullo modo ab subsistentiam propriam non habebat; subsistētia autem Verbi non habebat peculiarem influxum effectuum in illas operationes, quia nulla persona diuina operatur aliud ad extra quod non operentur etiam aliae personæ: operationes enim Trinitatis ad extra sunt communes omnibus personis iuxta commune Theologorum axioma; ergo persona Verbi non influerat per suam subsistētiam efficienter in operationes humanas Christi; ergo in aliis etiam hominibus natura est principium adæquatum operationum.

*96  
Eusebio.*

Secundò probatur à priori, quia subsistētia est ultimus terminus naturæ completae, per quem natura ultimè terminatur, & sicut in se ipso; ergo præsupponitur iam natura completa; ergo cum omni requisto ex parte principij ad operandum; ergo non constituit potens operari formaliter per subsistentiam.

*Exclusum.*

Dices, subsistētia diuina Patris iuxta probabilem Theologorum sententiam completatur diuinam in ratione principij formulis saltem generandi; ergo subsistētia etiam creata potest completere principium formale operandi.

Respondeo, negando consequentiam. Ratio discriminis est, quod natura diuina, prout præscindit à personalitate Patris, non distinguitur realiter à persona filii; quare ut sic non potest esse principium generandi filium; principium enim, & principiatum debent distingui realiter. Quare oportuit constitui in ratione principij per aliud distinctum à filio, nempe per personalitatem: quia ratio in natura creata non procedit; imò nec in ipsa natura diuina respectu operationum ad extra, nec respectu productionis Spiritus sancti, & ideo non constituitur in ratione principij ad huiusmodi operationes per personalitates. Quare ex ipsis di-

tinis personalitatibus non leviter retorquetus argumentum pro nostra conclusione; quia nec ipse diuina personalitates influunt efficienter in operationes ad extra, sed sola diuina natura; ergo multo minus concedi debet hic influxus subsistētia creata, qui est modus valde imperfetus.

Hinc infero, subsistētiam multò minus esse *llatin.* principium passuum adæquatum, vel inadæquatum ad recipiendum, que recipiuntur in natura. Probatur exemplo Christi Domini, in cuius natura humana recipiuntur adæquatè accidentia, hac enim non possunt subiectari in Verbo, licet suppositum denominetur pati, sicuti & agere.

Restat ergo questio in secundo sensu, in quo Suarez *vbi supra num. 10.* cum communis affirmat, subsistētiam esse conditionem prærequisitam per se ex parte naturæ ad operandum. *Quaestio in se-  
cundo sensu.  
Suarez.  
Semina-  
tria.* Si per possibile, vel impossibile conferueretur natura absque vila subsistētia propria, vel aliena; posse quidem naturam illam operari, deberique illi concursum generali ad suas operationes, quia ipsa natura in se habet totam virtutem requiritam ex parte principij ad operandum.

Hanc doctrinam Francisci Suarez posset aliquis iudicare esse minus consequentem; quia licet subsistētia in eius sententia non exigatur ut principium, exigitur tamen, ut conditio requisita ex parte principij: ablata autem conditio requisita ad operandum, non potest principium connaturaliter operari: sicut licet calor non sit principium formale ad recipiendam formam ignis, sed solùm dispositio; si tamen auferretur calor à subiecto, proculdubio non posset sine novo miraculo introduci forma ignis; ergo similiter ablata omni subsistētia, quæ per te est conditio ad operandum, non posset natura sine novo miraculo operari.

Ideo alij existimant, subsistētiam non esse conditionem antecedenter prærequisitam ad operandum ex parte principij, sed quæ solùm concomitante habet ad operationes, quod latè edocet Vasquez *in praesenti disputat. 21. Valques cap. 3.* Et primum probari videtur ad hominem Suarez, contra ipsum Suarez, quia illa prioritas, quam ponit in subsistētia respectu operationum, vel est prioritas causalitatis, vel dignitatis. De prioritate dignitatis non est sermo. De hac enim facilè concedemus, nobiliorem esse subsistētiam, quam operationes. Sermo ergo est de prioritate causalitatis, quia subsistētia antecedat ut conditio prærequisita ex parte principij, ut operetur. De hac ergo prioritate probatur non reperiri, quia illa deberet fundari in eo quod natura indigeret subsistētia ad operandum: Ex hoc autem lequeretur, ablata subsistētia, non posse naturam operari, ut supra probatum est; ergo cum ipse Suarez concedat, ablata subsistētia; posse naturam operari, sine novo miraculo, consequens est, ut nullam debeat admittere prioritatem in subsistētia respectu operationis.

Absolutè vero probatur, quia nulla adducitur ratio conueniens ad ponendum talem ordinem prioritatis inter subsistētiam, & operationes, & aliunde incredibile videntur quod si poneretur anima

anima sine omni substantia, non posset intelligere, vel operari, cum habeat principium sufficientis ad tales operationes.

Confirmatur, quia potest materia, exercere causalitatem materialem respectu plurium accidentium, immo respectu ipsius forma substantialis, prius natura, quam subsistat in composito; ergo neque erit necessaria substantia antecedenter ad operandum efficienter. Consequenter probatur, quia multò magis videri poterat exigi ad sufficiationem, quam ad effectuationem: non enim videtur posse aliquid sustentare alia in se, quin prius intelligatur in se substantia, vel innatens alicui. Antecedens vero constat, quia materia prima prius natura, quam recipiat formam substantialiem, sustentat accidentia, & dispositiones, ut diximus in *Physicorum*, & prius natura, quam adueniat substantia, recipit ipsam formam substantialiem, substantia enim oritur a toto composito, ut diximus; ergo antecedenter ad substantiam exercet materia causalitatem materialē.

Aduh tamen probabiliorē existimo priorē sententiam, quā communis est; probari tamen solet aliquibus argumentis minus efficacibus. Primo, quia forma accidentalis, prius natura intelligitur inherens subiecto, quam operetur, ergo substantia prius natura intelligitur existens per se, quam operetur. Probatur consequentia, quia sicut se habet in accidenti inherētia; sic se habet in substantia perfecta.

Sed responderi potest, negando consequentiam. Ratio discriminis est, quod accidens dependet per inherētiam à subiecto a priori; inherētia enim vel est causalitas materialis, vel coniuncta est cum causalitate: quare est, accidens inherere, quam operari: at vero substantia non dependet a substantia a priori, nec ab alio per substantiam.

Secundū, probari solet, quia natura diuina prius intelligitur substantia per tres personalitates, quam operetur ad extra, etiam operetur ab eterno; ergo etiam natura creata prius debet intelligi substantia, quam operans.

Sed responderi potest, distinguendo antecedens, natura diuina intelligitur prior in esse personæ ordine causalitatis, nego: ordine necessitatis, concedo. Est enim quedam prioritas, qua antecedunt ea, qua sunt necessaria ad ea, qua sunt contingencia: & haec reperitur inter substantias diuinās, & operationes ad extra, non tamen prioritas causalitatis.

Tertiū probari solet, quia operationes non tribuuntur nature secundum se, sed supposito: iuxta commune Philosphorum, & Theologorum axioma. *Actiones sunt suppositorum*; quod ratione & auctoritate late confirmat Suarez, *vbi supra à num. 1 o.* ergo substantia non se habet concomitant, sed antecedenter ad operationes: alioquin actiones tribui possint fali etiam naturæ, Vasquez, *vbi supra* late probat, actiones non magis tribui possunt supposito, quam naturæ, & naturam ipsam operari, non solum *ut quo*, sed *ut quod*. Nec oppositum habere fundatum in Aristotele, qui nūquam dixit actiones esse suppositorum, sed *actiones versari circa singularia*, quia non producitur animal, vel homo Card. de Lugo de Incarnat.

in communi, sed Petrus, vel Paulus. Ceterum quidquid sit de hoc, facile potest responderi, ideo actiones tribui magis supposito, quam naturæ, quia natura consideratur ad modum partis: pars autem licet sit principium adaequatum, non dicitur operari *ut quod* sed *ut quo*, quia eo ipso quod sit pars, est illud, quo aliud operatur. Ex hoc autem non potest colligi, substantiam prærequiri antecedenter ad operationem: nam etiam passiones sunt suppositorum, & tribuuntur suppositis, sicut actiones, & tamen vidimus, in communi sententia non prærequiri substantiam ad omnes passiones. nam materia antecedenter ad formam, & ad substantiam sufficit accidentia communia, & dispositiones accidentiales, & tamen non dicitur materia calida, sed lignum calidum, vel ignis calidus, quia licet materia sit adaequatum principium materiale caloris, est tamen pars, cuius operationes debent tribui supposito, quod denominatio. Confirmatur solutio, quia sicut suppositum dicitur esse, quod operatur, & non natura; ita etiam suppositum est, quod dicitur fieri, vel creari: & tamen creatio non terminatur immediate ad substantiam, nec præsupponit illam; substantia enim subsequitur ad naturam iam creatam, ut infra videbimus; ergo ex eo quod suppositum dicitur operari, non potest colligi substantiam antecedenter ad operationem.

Vnica restat ratio quam supra disp. 8. sect. 1. adduximus ad probandam hanc prioritatem substantiarum, quia scilicet substantia pertinet ad complementum intrinsecum substantiarum operantium, cum autem operatio sequatur modum effendi, expectari debet prius, quod principium confitatur, & compleatur in suo modo effendi antequam operetur, quam rationem ibi latè explicamus, & probauimus exemplo animæ rationalis. Hæc autem ratio solùm procedit in ordine ad operationes, non in ordine ad emanationem passionum, quæ non dicitur operari, sed emanatio, & multò minus in ordine ad receptionem qualitatum, quia recipere non est operari: per quod patet ad confirmationem supra adductam. In casu autem, quo natura existeret absque omni prorsus substantia, posset quidem operari, quia substantia, quando est, ideo præcedit operationem, quia tunc complet modum effendi principij operantium. quando autem substantia non est, tunc modulus effendi operantis est diversus, & ille solus deberet tunc præcedere operationem; sicut quando anima rationalis est in corpore, vno eius cum corpore debet præcedere omnem operationem; quando vero est extra corpus, solùm debet præcedere operationem negatio vñionis, per quod patet ad rationem pro contraria sententia adductam.

Sexta difficultas est de causis substantiarum. De hoc tamen breuiter dici potest, quod de causa aliarum passionum diximus in primo *Physicorum*, nam si aliae passiones sunt immediatè à generante, de substantia etiam dicendum erit, fieri immediatè ab illo agente, à quo producitur natura. Si vero dixeris, alias passiones fieri ab essentiis immediatè per naturalem emanationem, idem dicendum erit de substantia.

T. 2 Dices,

## 220 De mysterio Incarnationis,

*Effigium pri-*

*matis.*

Dices, subsistentiam non posse fieri ab essentia, quia sic se habet subsistēta respectu naturae, substancialis, sicut se habet inherētia respectu accidentis: inherētia autem non sit ab accidenti, sed ab eo, qui producit ipsum accidentem; ergo nec subsistentia sit ab essentia, sed à generante.

*Præcluditur.*

Respondō, rationem discriminis esse: quod inherētia non est posterior ad accidentem; non enim potest in aliquo priori naturae existere accidentem, antequam inherētia subiecto; quia in illo priori non dependet subiecto, ideo accidentem non potest esse causa sue inherētia. At verēd natura potest esse prior, quam subsistentia, ideo potest esse causa illius.

*Effigium se-*

*cundum.*

Dices secundō, ergo humanitas Christi est in statu violentio, cum priuēt propria subsistentia, ad quam producendam habet propriam virtutem actiūm.

*Occluditur.*

Respondō, etiamsi non fieret subsistentia à natura, procederet alēm argumentum, quia natura ad minus habet potentiam pauciū ad propriam subsistentiam: contra potentiam autem pauciū dari etiam potest violentia, ut diximus in tractatu de voluntario, & involuntario. Respondet ergo negando sequelam. Cur autem non sit ille status violentus diximus suprā.

*IO 5*

*Differuntur*

*circa natu-*

*ram & subfi-*

*cientiam, an*

*fiant eadem*

*actione an dis-*

*pliū saltem*

*partialē.*

Hinc dissolvitur alia questio. Vtrum subsistentia, & natura fiant eadem actione, an dupliū saltē partialē? Si enim dicas, subsistentiam fieri immediatē à natura, certum est, non fieri eadem actione, qui fit ipsa natura, quia natura fit per actionem oram à generante, qua actio non oriatur ab ipsa natura. Imò tunc valde probabiliter dicere ut, subsistentia nō fieri à natura per actionem distinctam, sed se ipsa essentialiter; nec op̄positum posset efficaciter probari, vt ostendit Suarez, *vbi supra, dicit a sect. 6. n. 31. & 32.*

Si verēd dicas, subsistentiam fieri à generante, dicendum adhuc est, non fieri eadem, sed dupliū actione distincta. Prīmō, quia humanitas Christi dependet à Deo, sicut aliae humanitas, & per actionem omnino similem, & tamen illa actio non terminatur ad subsistentiam creatam; ergo actiones, quibus fiant natura, & subsistentia, separabiles sunt, & per consequens distincta. Secundō, quia natura prius producitur, quam subsistentia, est enim causa materialis ipsius subsistentia; ergo prior est actio terminata ad naturam, quam ad subsistentiam; ergo distinguuntur illae actiones. Confirmatur, quia actio, qui fit subsistentia, licet non procedat à natura in genere cause efficientis, procedit tamen in genere causa materialis; non enim distinguitur à causalitate materiali, quia subsistentia pendet à natura iuxta ea, quae de distinctione actionis, & passionis diximus, *in 2. Physicorum;* ergo illa non est actio, qui fit ipsa natura: actio enim, qui tendit ad naturam, non potest consequi, nec procedere à natura, quae per ipsum producitur.

*IO 6*

*Eusofio pri-*

*matis.*

*Excluditur.*

Dices primō, forma accidentalis, & eius inherētia, seu vno, fuit per eandē actionem; ergo natura, & subsistentia debent fieri eadem actione.

Respondō, admissō antecedenti, negando consequentiam, quia accidentis fortasse non est causa materialis sua vniōnis, ideo non oportet accidentis antecedere productum ad suam vniōnem; at verēd natura debet esse causa materialis sue subsistentia, ideo debet præsupponi iam

producta per aliam actionem, ante quam producatur subsistentia.

Dices secundō, creatio naturae non terminatur *Eusofio secundum* præcisē ad natūram, sed ad natūram subsistentiā; creatio enim est rei subsistentis. ergo terminatur illa actio etiam ad subsistentiam.

Respondeo, illam actionem formaliter terminari ad solam naturā, dicitur tamen terminari ad rem subsistentem consequatiū, id est, ad talē natūram, ad quam confequitur subsistentia, licet non per illam primam actionem formaliter.

De causa materiali subsistentia breuerter dicendum est esse ipsam natūram, quia cum subsistentia sit modus substancialis, nec esse est, quod dependat à subiecto, non est autem aliud subiectum, nisi ipsa natura, à quo possit sustentari. Nec contra hoc occurrit aliiquid, quod non possit facilē ex supradictis dissolui.

### DISPV TATIO XIII.

De termino assumptionis ex parte naturae assumpta.

SECT. I. *Qualem naturam humanam Verbum assumpserit? Vbi an in Christo sint tres nature?*

SECT. II. *Verum Verbum assumpserit hominem?*

SECT. III. *Verum si Verbum assumeret plures humanitates, esset unus homo vel plures?*

**R**ÆMITTEMVS prius ea, que facilia sunt, & magis pertinent ad controversias, vt postea ad id, quod difficilis est, veniamus.

### SECTIO I.

*Qualem naturam humanam Verbum as-*

*sumpsit, ubi, an in Christo sint*

*tres nature.*

Prima conclusio sit, Verbum assump̄isse veram animam rationalem. Hæc est de fide, definiuita in Symbolo Athanasij, vbi dicitur, Christus *ma.* perfectus Deus, & perfectus homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens. Item in Concil. Tolet. XI. in confessione fidei, & in Carthagin. IV. c. 1. & a Damaso Papa in professione fidei Catholicæ ad Paulinum Episcopum Thessalonicensem, quam refert Theodoret. lib. 5. Historia. c. 10. *Theodorec*

& 11. Et habetur inter decretal. Damasi I. tom. Con-

cil. quam veritatem definit Damasus, teste Hieron-

onymo in additamento ad Chronicon Eusebij

anno 379. in Concilio Romano. Item definitur à

Leone I. Epif. 11. ad Italianum, & 83. ad Episco-

pos Palestinos. Et in Concilio Constantinopolitano V. act. 8. can. 4. & 11. & in Sexta Synodo ge-

nerali act. 1. in Epistola Sophronij, & act. 18. in

edicto Imperatoris Constantini Pogonati.

Probatur primō, ex Scriptura Matth. 26. Tristis

est anima mea. Ioan. 10. Potestatem habeo ponen-

di animam meam, & iterum sumendi eam. Ioan. 12.

Nunc anima mea turbata est. Quæ verba & simili-

lia non possunt intelligi de Verbo ipso, quia vo-

luntas Verbi non potest tristari, nec turbari, nec

Verbum